

† R. P. Marinus van Grinsven (1885-1950)

(*Prov. Holl.*)



Anno Sancto 1950 die 10 Iunii Marinus v. Grinsven, natus die 10 Ianuarii 1885 in Den Dungen dioecesis Buscoducensis, aetatis suae 66°, durante itinere apoplexi arreptus Ruraemunda inopinatae obiit; cuius corpus in coemeterio nostro Noviomagi sepultum est die 13 Iunii 1950.

Acta diurna publica « Provinciaal Noordbrabantse Courant » die 11 Iunii 1950 publicarunt « in Memoriam », quae sequuntur: « Mortuo Patre v. Grinsven, sacerdos eminens, homo praeclarus e vita migravit. Congregatio Ss. Redemptoris, dioecesis Buscoducensis, permulti amici ac familiares damnum magnum fecerunt.

A consiliis et a confessionibus erat sacerdotum atque laicorum, omnibus semper praesto, omnibus notus propter assiduam suam sollicitudinem erga infirmos atque morientes. Patris v. Grinsven memoriam nulla um-

quam delebit oblivio ob magnam suam virtutem, varietatem copiamque scientiae, admirabilem laborem ac indefessam industriam ».

Et sane. Congregatio nostra amisit genuinum S. Alfonsi filium, observantia, zelo atque doctrina plenum. Iam ab ingressu in Iuvenatum ab anno 1896 eminebat magna diligentia, cum certa tamen severitate coniuncta, quae iam a prioribus annis aeque ac postea in variis officiis ceteris optimis qualitatibus aliquam umbram attulit et qua se apud nonnullos minus amatum fecit. « Studiis incumbens humanioribus id semper pree oculis habui », ita in curriculo vitae, « me omnibus viribus preeparare ad vitam religiosam ac sacerdotalem, quam aliquando amplecti in animo habebam ». Quem finem ut attingeret, iam ante decretum B. Pii X de frequenti Communione, permittente conscientiae suaे moderatore, saepius per hebdomadam S. Synaxi sese reficere solebat.

« Assidua lectio operum S.P.N. Alfonsi me valde movit atque induxit, ut omnibus viribus digne me preeparaverim statui religioso ac sacerdotali, ad quem vocatum me esse persuasum mihi habebam » (Curr. vitae). Habitu Congregationis indutus, post completum noviciatum die 29 Septembris 1903 emissione votorum se totum Iesu Christo et Congregationi consecravit. Sacerdotio auctus die 7 Octobris 1908, absolutis studiis feliciter, lector Iuvenatus renuntiatur et ob magnam suam scientiam et fortasse quia ministerio verbi minus idoneus videbatur admirabilem enim ad dicendum vim non habebat, vocem habens acutam atque iniucundam et auditu carens, uti dicunt, musicali. Lectoratum interruptum mansione in Alma Urbe, ad studia theologica in Schola Maiori intentus; sed mox Ruraemundam rediit, ibique mansit usque ad annum 1923; ad maiora enim vocatus, cathedram Theologiae moralis atque S. Liturgiae ascendit. Quo modo officio lectoris in nostro collegio Wittemii usque ad annum 1930 functus sit, quidam confrater iudicando valde idoneus hisce verbis enuntiavit: « Ut moralista sese verum S.P.N. Alfonsi filium exhibuit tum amore scientiae tum sollicitudine, ut principia Theologiae moralis in vitae praxin deducantur. Finem sibi proposuit non tantum servire scientiae qua tali, sed maxime usum principiorum in animarum cura et vita christiana. Magna gaudebat eruditio nec umquam negligebat quaestione aliquam funditus cognoscere, antequam opinionem in lucem ederet.

« Versatus ut nemo in legibus decretisque Congregationum S. R. Ecclesiae, nonnumquam, positiva suaे indolis ratione, nimis adhaerebat litterae legis, libenter voluntas in sophismatibus, oblivious illud: *Littera occidit, spiritus vivificat*. Quamquam hæc in re minus laudandus, detrimentum tamen laudis non accepit in Theologia pastorali, cui per totam vitam se devovit. Tota docendi vis in eo posita erat, ut confratres suos iuniores formaret in confessarios prudentes. Immensa eius consilia ac solutiones, scriptis vel oretenus data in et extra Congregationem, ob eorum firmitatem et aequitatem a clero saeculari ac regulari magni aestimaban-

tur. Licet non aperuerit viam, ut S.P.N. Alfonius, in re Theologiae pastoralis, inficiari nequit eum ut moralistam permultis sese adiutorem fidelem ac ducem securum praestitisse ».

Quam magni defuncius confrater aestimaretur a Superioribus, patet ex diversis muneribus, quae ei demandata sunt. Nominationibus triennalibus 1927 nominatus est Consultor Secretarius Pl. R. P. Provincialis L. Wouters, 1930 renuntiatur Rector Wittemii, 1933 Rector Buscoduci; finitis duobus triennis 1939 munus Magistri novitiorum ei committitur usque ad 1946. Ter de mandato Reverendissimi Patris Generalis officio Visitatoris extraordinarii functus est: anno 1929 canonice visitavit Vice-Provinciam de Paramaribo, 1932 Provinciam Argentoratensem, 1936 Provinciam Germaniae Superioris.

Praeter munera et labores in Congregatione praestita confrater noster necessitudinem etiam multam habuit cum dioecesi Buscoducensi eiusque clero. Iudex creatus est prosynodalibus, membrum fuit Consilii Vigilantiae, membrum Tribunalis pro rebus matrimonialibus, interfuit synodo dioecesis.

Magnus quoque promotor fuit devotionis erga S. Gerardum. Rector Wittemii nominatus totus in eo fuit ut devotionem ibi iam vigentem magis ac magis promoveret, et ut innumeri singulis diebus Dominicis illuc peregrinantes expeditius peccata sua confiteri possent, sacellum (biecht-kapel) construxit multis confessionalibus comparatum. Buscoduci et ut Superior et postea ut missionarius domi per multos annos fideles ad magnam devotionem excitavit magno cum exitu et eventu, quod quidem ex eo patet quod, concursu populi ad ecclesiam nostram ultimis annis valde decrescente, singulis feriis tamen permulti Laudibus vespertinis assistebant atque fideliter, Patrem v. Grinsven iudicantes vere hominem Dei, qui solus modo suo praedicare et orare potuit ut nemo aliis. Anno 1936 cum 300 peregrinantibus Wittemium petiit ad sanctuarium S. Gerardi, et ventibus annis eorum numerus crevit ad 700. Festum S. Gerardi quotannis magna cum solemnitate celebrandum curavit.

Simili indeficienti animo P. v. Grinsven devotionem erga Venerabilem Petrum Donders propagavit. Iam lector in Iuvenatu varia opuscula scripsit ad excitandam devotionem; actio vero crevit post susceptum munus vicepostulatoris. Anno 1934 erexit associationem Petri Donders, edidit periodicum bimestre, 1945 incepit seriem 20 fasciculorum « Peerke-Donders-Reeks »; octavo quoque die petebat sacellum Tilburgi, natalis oppidi Venerabilis P. Donders, ad celebrandam ibi « supplicationem ». Devotio erga Venerabilem Confratrem in Neerlandia pro maxima parte, si non unice Patri v. Grinsven attribuenda est. Usque ad mortem omnibus viribus atque opibus allobaravit huic devotioni, et ultimum vitae factum fuit Ruraemundae inquisitio sanationis cuiusdam intercessione Venerabilis P. Donders obtentae.

Cum quanto zelo et ardore apostolatui calami totum se devoverit, indicat nobis Bibliographia R. P. De Meulemeester t. II p. 439 et t. III p. 399.

Mortuus confrater imitator fidelis S. Alfonsi etiam in hoc nobis apparet, quod ne punctum quidem temporis amisisse videtur. Exemplum nobis reliquit vitae religiosae genuini Redemptoristae, zeli vere apostolici, magni amoris Congregationem (1).

A. DANKELMAN